



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Admirandvm vindictae divinae theatrvm

Tympe, Matthäus

Monasterii Westphaliae, 1611

Amplissimo, Nobilissimo, Prvdentissimo, Atqve Integerrimo viro, ac
Domino, Domino Ioanni Hardenradio, inclyt[a]e Imperialis Reip.
Coloniensis frequenter Consuli, nunc Quæstori, &c. Mecœnati ac ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51314](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51314)

AMPLISSIMO,
NOBILISSIMO, PRVDEN-
TISSIMO, ATQVE INTERRER-
rimo viro, ac Domino, Domino IOANNI
HARDENRADIO, inclytę Imperialis Reip.
Coloniensis frequenter Consuli, nunc Quę-
storl, &c. Meccęnati ac Patrono suo perpe-
tua obseruantia colendo, sempitet-
nam felicitatem.



B ipsis propemodum Ecclesie
Romane incunabulis, Amplissi-
me, Nobilitate generis, ac pru-
dentia gloria præstatisime Do-
mine Consul, & Patrone mihi
summa semper religione obseruande, sum-
mus Christiana Religionis Antistes S.
Clemens septem elegit Notarios qui maio-
rum res gestas perpetua memoria commen-
darent: quibus postea totidem additi sunt,
Subdiaconi cognitores. Omnia autem dili-
gentissime scripta atq; recognita, à Romano
Pontifice, singula pariter exactissime dis-
quirente, in publicis Ecclesie Tabularijs
condebantur. Sed hac ipsa tam accurato
studio comparata, fide publica obsignata,
summaq; industria custodita, in saeuissimo
atque vastissimo illo Christiani orbis incen-
dio, sub Diocletiano tyranno, maximo to-

Rom. Pon-
tif. in Cles-
mente, Fa-
biano, An-
tero,

Aegyptij &
Chaldei id
munus so-
lis Sacerdo-
tib. iniun-
gebant: Iu-
dæi solis
Pontificib.
& Prophe-
tis (Ioseph.
contra Ap-
lib. 1.) Ro-
mani, Pon-
tificibus
(Vopif. in
Tacito).

DEDICATIO.

tius Ecclesia detrimento, impie nimis concremata fuere, adeo ut vix pauca quadam (velut *in* naves ex busto reliquia) superfuerint.

Quare praeclarissimam rei Christianae operam nauare censendi sunt, tum quorum solertia ad haec colligenda, aliaq. ruinis alijs immensa penè aggerum mole obruta & alta obliuione sepulta, è ruderibus in lucem denuo vindicanda, summo studio laborat: tum qui virtutum vitiorumq. Exempla & Miracula quauis etate facta litteris consignare & ad posteros fideliter transmittere student, dato exemplo alijs ut simili diligentia porro ab obliuione talia, & exempla, & Dei opera, vindicare pergant.

Ecclesia de
hereticorū
synagogis
magnificè
triumphat
miraculis.

S. Augustinus, ut suo tempore supra vires naturae effecta opera ad plurimum cognitionem peruenirent, statuit cum alijs Episcopis Africanis, ut ij quibus sanitatis beneficium diuinitus obtigisset libellos totam rei seriem comprehendentes offerrent, oblatiq. publicè coram vniuersa multitudi- ne recitarentur, quo miracula latius disseminarentur, & cum miraculis laus & gloria sanctorum, ac in primis Dei, quod & factum, & studiosè obseruatum est, ut ex eodem Augustino multis in locis patet.

DEDICATIO.

Sic & nostro auo Horatius Tursellinus, Iustus Lipsius, Martinus Eisingrenius, & Trithemius, quanta miracula. Ita sint Laureti in agro Picano, quanta Hallis in Hannonia, quanta Sichemij in Brabantia, quanta Oetinga, quanta Dietelbachi. nobis totiq; mundo pat fecerunt, & chartis immortalibus immortalitati consecrarunt. Utinam autem complures alij hoc studium pietatemq; istam imitarentur, pariq; fide & candore qua in orbe Christiano à Diuis & per Diuos gesta sunt & quotidie geruntur, memoria proderent, & non potius supina quadam socordia ac negligentia hæc mirabilia Dei opera, qua ex officio propalare & in publicum efferre deberent, cum seruo illo nequam, quasi sudario inuoluta, absconderent & occultarent. Utinam etiam in tam diuersis & aduersis malis, quibus Catholica hoc iniquissimo tempore affligitur Ecclesia, omnes, & Scriptores, & Concionatores, dolentes, angustiati, afflicti causam tantorum malorum intrepide aperirent, & ob peccata iram diuinam cælitus instar fulminis in populum vibrari exaggerato animo manifestarent. Utinam à viris litterate virtutis thorace indutis posteritati consecrata, & miracula, & virtutum

Miraculæ
Diuæ Lau
retanę, Hal
lensis, Siche
mientis,
Oetinga
næ, Dietel
bachensis,
&c.

Votū hoc
est P. Gret
seri li. 3. de
S. Pere
grin. c. 5.

Thren. 2.
Prophetæ
non aperie
bāt iniqui
tatē tuam
(o Hierusa
lem) vt te
ad pœnitē
tiam pro
uocarens.

DEDICATIO.

Quantum vitiorumq; exempla, frequenter cōmemora
 habeāt mo rent, utinam, inquam, omnes historiarum
 mētum in veter~~um~~ ac recentium condimenta varia
 permouen (quibus cui huius, qua bile, qua felle, nause-
 dis animis anti stomacho consulere licet) adhiberent.
 exempla & Hęc enim dictione & narratione perspicua
 ipsa S. scri- Hęc enim dictione & narratione perspicua
 ptura do- mores corrigunt & confirmant, mentes in-
 cet (cui pal- struunt & efficacius mouent, pectus erudi-
 sim ea vo- unt, memoria firmitus harent, affectum fo-
 luit Deus uent, tadium remouent, animos nouitate
 interseri) capiunt, admiratione defigunt, varietate

Christianę Religiois delectant, doctrina pascunt, sensu pietatis
 sectandę afficiunt, & dogmata Religiois Catholicę
 caput est mirifice confirmant ac stabiliunt.
 historia.

Aug. de ve- A Diuo Francisco & à S. Dominico eius
 ra relig. c. 7 equali in ijs legibus quas suis sectatoribus
 sanxerunt cautum statutumq; est ut nihil
 aliud monachi cōcionatores dicāt, nisi quod
 ad Virtutis studium Scelerisq; odium possit
 incitare: atq; ea de causa & felicitatis eter-
 nę premium, & inferorum perpetuos cru-
 ciatus assidue repetere iubent ac frequenter

vt tumorē iterare. Maxime enim à Christiano oratore
 (tanquam curandum est, cōtendendiq; in eo nerui om-
 strumam) nes, vt pernitiosis consuetudinibus, & flagi-
 orationis tijs sceleribusq; pulsus ac profligatis virtus
 scalpello dominetur ac triumphet. Ad virtutis autem
 resacet, ig- & pietatis studiū in animis auditorū exci-
 ne charita-
 tis accen-
 dat, & c.

tan.

DEDICATIO.

tandū exempla magnā vim habent & ener-
 giam. Hinc M. Tull. omnia memoria tenebat
 Romanorum suorum belli & pacis exempla,
 quibus ad auditores iudicesq; per mouen-
 dos cū res posceret, utebatur. Cum Mediola-
 nensis Ecclesia quondā à Ro. Pontif. sceleratē
 impiēq; defecisset (sacros enim ordines sibi
 quisq; coēmebat, nec erat qui flagitiosissimas
 rerū sacrarū nūdinationes perhorresceret,
 liberis clerici operā dabāt, nefarijsq; nuptijs
 diuina & humana iura polluebant). Rom.
 Pontif. Nicol. hoc nomine II. ut his grauissi-
 mis malis mederetur, virum suæ etatis elo-
 quētissimum Petrum Damiani Hostiensem
 Episcopum Mediolanensi legationi præfecit,
 eiq; purgandam urbem (diui quondam Am-
 brosi sede, concionibus, & doctrina nobilē)
 negotium salutare mādauit. Petrus, ut erat
 imperatum, Mediolanū venit, conuocatoq;
 populo sermonem habuit qui totus cōstabat
 exemplis. Fecit enim quod multis ante secu-
 lis magnus fecerat Matathias (qui, ut filio-
 rum quos procrearat animos excitaret, pa-
 tria auitaq; virtutis innumera exempla
 collegit) atq; hac ratione (docens nullam esse
 Christianam in toto orbe prouinciam quæ
 Romanæ Ecclesiæ ditionis nō esset) populum
 flexit, & à clero qua voluit impetrauit.

Carolus
 Sigon. li. 9.
 de Regno
 Italiæ.

Christus,
 sapientiæ
 celestis sa-
 crarium nō
 erubuit Ga-
 liliæ orum
 repentinū
 interitum,
 & imparē
 sortē epu-
 lonis & La-
 zarii in me-
 dium pro-
 ferre &
 Luc. 10.
 exemplo
 Luciferi
 superbiam
 sanare.

1. Macc. 1.
 vi. 2. Macc.
 6 v. 13. quā-
 tum vale-
 ant exem-
 pla & pro-
 sint ad pue-
 rorum in-
 stitut.
 Horat. li. 1.
 Ser. Sat. 4.

DEDICATIO.

Cic. Com-
memoras
tio antiqui
tatis, exem-
plorumq;
prolatio
summa cū
delectatio-
ne & autho-
ritatē ora-
tioni ad-
fert & fidē.
v. 3. Tusc.
vim exem-
plorum.

Tom. 10.
hom. 11.
lib. 8. dial.
ca. 18.

Scripturæ
Propheta-
rum terro-
ribus sca-
tent, ple-
næq; sunt
minarum
quibus De-
us dura ho-
minū cor-
da cōterere
nifus est.
2. Reg 12.

*Pascuntur certè incredibili voluptate
& afficiuntur maiorem quendam in mo-
dum sensibus intimis auditores boni, faci-
norosi vero & tetri metu cōercentur & à
vitijs abstrahuntur, cum præclarus vita
doctor memoranda & admiranda vindi-
ctæ diuinæ profert exempla. Quæ enim fæ-
mina oris fucū non horreat si quæ narrat S.
Hieron. ep. ad Lat. ex optimi cōcionatoris o-
re admiretur? Quis aut temerè iurabit, aut
iurandi necessitatem alteri imponet, cogni-
ta Titulymeni historia, cuius scriptor est
Augustinus? in educatione filiorum quis re-
missus ac dissolutus esse poterit qui quæ de
hac ipsa re Gregorius scribit concionatore
& narrante & amplificante didicerit?*

*Præstantissimi quiq; Theologi, ad diui-
nam indignationem auertendam prouo-
candamq; Dei misericordiam, correcturi
prauos fidelium mores, quibus diuina vin-
dicta concitatur, seuerissime semper vitia
exagitarunt. Nathanus Propheta (vt de a-
liorum Prophetarum seueritate nihil di-
cam) Dauidi, post immane illud Vriæ & vio-
lati & occisi scelus admissum, sese callide
insinuauit & tecto orationis exordio adi-
tum ad Regem arguendum quæsuit. Quam
acriter insectatus est vitia Christi præcur-
sor,*

DEDICATIO,

for, etiã ne regibus quidem parcens? Quã
 acerrime reprehendit ea ipse mundi & ho-
 minum liberator Christus? Annon & ea et-
 iam inuecti sunt Apostoli, martyres exarse-
 runt, fulmina Doctores non modo tela ieci-
 runt? Annon S. ille Menas solitudinis cul-
 tor eos qui se adirent quosq; flagitiosos esse
 sciret, grauisimis verbis cruentabat? Tho-
 mas Illyricus diui Francisci monachus cum
 in alearum vsum eorumq; foliorum quibus
 ludere homines ludiq; solent acerrime es-
 set inuectus, & à profusione nummorum
 animiq; extrema pernitie auditores suos
 auertere conaretur, pro causa magnitudi-
 ne dicendi spatia ampliauit (horas octo con-
 cionatus est,) neque ipsum mora defatiga-
 tionisq; pœnituit, illaque non magis longa
 quã & vehementi & salubri oratione
 perfecit, vt chartarum pestilentissimarum
 artifices qui illic erant in ciuitate permul-
 ti, sese à turpissima pernitiosissimaq; arte
 remouerent, eosq; vrbis Senatus, Thoma
 hortatu, alendos suscepit, ne fame (quam
 malesuadam Poëta nominat) rursus ad in-
 genium cognitumq; artificium redire cog-
 rentur. Quis autem inficias ibit ipsum di-
 uersorum aleatorum pœnas & funestum
 interitum auditoribus suis proposuisse?

2. Tim. 4.
 argue, ob-
 scura, in-
 crepa.
 Tit. 1. In-
 crepa illos
 (Gretēses)
 dure.

Greg. 3.
 dial. c. 26.

Hæc mag-
 nus ille
 Martinus
 Aspievitz
 Nauarrus
 in suis scri-
 ptis reli-
 quit.

AEn. 6.

DEDICATIO.

- Hac ratione & multi alij egregij Conciatores non vnā ciuitatem, sed regna amplissima commouerunt. Non hic Apostolos commemorabo, qui à mundo tenebris vndique circumfuso errorum & vitiorum caliginem admirandis conctonibus dispulerunt: non martyres testificabor, qui Ecclesiam veluti in cunis vagientem sanguine, tãquam lacte, nutrierunt aditumq; vitijs vel suis corporibus obstruxerunt: nõ clarissimos illos Doctores recensebo qui & linguam procedentes & pectus caelesti sapientia raraq; eruditione complentes Ecclesie adolescentiam florentem ac viridem reddiderunt:
1. non Chrysostomum (vt ab illa immensitate discedam) testem citabo, cuius eloquentiam vel prapotentis tyranni metuebant, cuiq; cognomen aurea vox seu aureū eloquentia flumen dedit; & in quo zelus dure vitia increpandi cõiunctus erat cum eximia spiritus prudentia quo suas oues curabat, infectas secernens, ne totum ouile corrumperent. Non Zachariam summum & Pontificem & Oratorem adducam, qui ad Rabisium Gallie Cisalpinae Regem profectus à quo Perugia magnis viribus & copijs obsidebatur, tam luculentam orationem habuit, itaque de humane vitæ miserijs, infero-

1.

2.

3.

Signū certis, est Pseudoproph. demulcere aures.

4.

Thren. 2. v. 14. neceperiebāt iniquit. tuā &c. Ezech. 13. v. 10. discentes pax & non est pax, &c. Esa. 3.

5.

Fulgos. li. 8. cap. 9.

DEDICATIO.

inferorum supplicijs, caelestiq; vita disputa-
 uit, ut oratione finita non modo urbem
 obsidione Rex soluerit, verum etiam reli-
 cto regno monachum induerit, quietam-
 que vitam & ab omni negotio & procura-
 tione liberam Romae traduxerit: non Vin-
 centium Ferrariensem S. Dominici secta-
 torem & in Christo filium, nominabo, qui
 Iudaorum & Sarracenorum innumerabi-
 lem multitudinem sub Christi vexillo col-
 locavit, Christianorum vero flagitiose tur-
 piterq; viventium quadraginta millia in-
 eam voluntatem adduxit ut publica scele-
 ra publice pœnis expiarent. Eorum autem
 qui se domesticis vitijs inquinassent quiq;
 eodem hortante secreta peccata secretis iti-
 dem piaculis supplicijq; punirent sexaginta
 millium numerus fuit. Cum aliquando
 duo ob turpissimum facinus ad supplicium
 ducerentur stare eos iussit in eodem loco in
 quo ipse concionem habiturus erat, vultu
 cooperto, fortasse ne oculi animum distra-
 herent, ille autem de peccati deformitate
 ac fœditate, de inferni pœnis, & de cae-
 teris rebus quae pœnitentiam ingenerare
 solent, tanta efficacitate differere aggres-
 sus est, ut duo illi præ doloris ac con-
 tritionis magnitudine, primum aestua-

6.
 Iustinia-
 nus in vita
 S. Vinc.

Bern. in ca.
 3. Esa. Ec-
 clesiastici
 doctoris
 nomine dis-
 gnos ceter,
 qui lacry-
 mas, non
 qui risum
 mouent,
 qui scelera
 coarguunt,
 non qui lo-
 quuntur
 ad volun-
 tatem.

DEDICATIO.

est uare, deinde ardere cœperint, denique
 in veros carbones quasi igne deflagrassent
 conu. si sint, quod apparuit cum reiecta fa-
 cie ab omnibus conspecti sunt): Non Hugo-
 nem Gratianopolitanum Episcopum tōme-
 morabo, quem tā vehementem in cōcionan-
 do fuisse legimus ut lōgius quā ipse vellet
 prolaberentur auditores. Neq; enim solum
 mortiferas illas culpas qua Deum ultorem
 habent, sed & capitalia scelera, qua & De-
 us punit & leges vlciscuntur, aperire sole-
 bant & publice confiteri. Ita enim Dei ti-
 mor Hugone dicente in hominum animos
 penetrabat ut quiescere multi non possent
 neq; respirare auderent dum sacerdos ad-
 esset, cui peccata suggererent, & animas sa-
 cramento illo caelesti salubriter expiarent.
 Itaq; mulier quædam se maritum veneno
 sustulisse confessa est, grauissimiq; parrici-
 dij quo premebatur quasi pondus abiecit.
 Doctis tamen multo illi probantur magis
 qui Hugonem e suggesto descendentem sce-
 lera confessuri circumstabant, ijs qui secre-
 tum illud sacrum iudicium prauenerunt,
 quos tamen non reprehendunt cum Deus fi-
 deles operarios huiusmodi prodigijs soleat
 illustrare & nobilitare.

7.
 Ex Guigo-
 ne V. Prio.
 re primæ
 Carthusiæ.

Herman-
 nus Petri
 Carthusia-
 nus in ex-
 positione
 orationis
 Dominicæ
 singulis Ho-
 milijs (sunt
 autem 50.)
 tria exem-
 pla adscri-
 ptis.

Deus præ-
 sto est de-
 fendētibus
 Deicausā.

DEDICATIO.

Si omnes nostri Concionatores frequenter pœnas, & temporarias, & eternas peccatorum, auditoribus suis cœperint commemorare, sermo ipsorum, quemadmodum mihi persuadeo erit Malleus conterens petras: ferreas, inquam, auditorum mentes oratione frangent, ac teterrima flagitia ad inferos relegabunt. Adhuc aderit omnium fortasse primus semper in concione ipsorum Adulter, nequaquam seueritatis ignarus qua uti solent in mœchos: accurret Ambitiosus, qui honorum sitim illam inexplebilem impune non feret: et si sciat Auarus quid sit auditurus, praesto tamen erit & sedem anticipabit: et si iniuriarum ultores non fugiat quàm sint asperè corrigendi; quamuis nobilibus ac diuitibus notum sit de ipsorum sumptibus, aleis, lusionibus, luxuria ac vitæ peruersitate quam sit sententiam dicturus, quamq; horrenda vindicta diuina exempla prolaturus orator; et si ebrïosi, fures, gloriosi, gulosiq; milites, inuidi, libidinosi, maledici, raptores, sacrilegi, scortatores non ignorent ad certissimam grauissimamq; se torturam proficisci, tamen adduci non poterunt ut a concione exemplis admirandis & miraculosis historijs illustrata absint. Turpissimi & flagitia-

De his fuse
in nostro
Speculo
bonorum
clericorū,
in loco de
Magnanimitate ip-
sorum.

DEDICATIO.

Obiurgationis acerbitate laudis dulcedine cōdite prudentis est oratoris.

gitiosissimi quiq̄, cruentari se & dilacerari sentiunt cum à pio concionatore vitia reprehenduntur, sed vulnerandi vim illam, & celerem, & caelestem admirantur, mittendiq̄, sanguinis artem cum suauem tum salubrem Pradicare non desinunt, eiusq̄, laudādi medici finem nullum faciunt qui dolorem sapore compensat.

Communiter vehementi⁹ nos afficere tristitia (supplicia) quam læta (præmia) probat P. Lud. Gran. ca. 1. lib. 1. Memor. Vitiorum poenæ.

Vt autem tyrones ponderosi & grauisissimi huius muneris concionatorij distinctos habeant **LOCOS COMMUNES** (& certas classes) Exemplorum quæ quasi exstructum aggerem inundantium peccatorum obijciant torrenti, in hoc Vindictæ Diuinae Theatrum ex vastissimo historiarum campo contuli ea fere duntaxat exempla & miracula quæ apertam peccatorum continent ultionem diuinam; alio (diuina aspirante gratia) Locorum communium volumine ea commemoraturus exempla quæ præmia virtutum continent admiranda.

Virtutum præmia.

Cogitanti vero mihi, Amplissime, Nobiliss. ac prudentissime domine Consul, cui potissimum hoc Theatrum seu illustrium exemplorum promptuarium nuncuparem, grauisima rationum momēta occurrebant quæ me ut illud sub tui nominis amplissi-

DEDICATIO.

mo fulgore, splendore, ac patrocínio in
vulgus emanare permetterem, permoue-
bant.

Ac primo quidem, quia constat eos qui
ad clauum & gubernaculum Rerumpubl.
sedent, ex lectione historiarum magnos
semper fecisse progressus animumq; ad res
magnas inchoandas & perficiendas erexis-
se. Quis enim ignorat potentissimum
Regem Assuerum ex ea, quid virtuti, quid
sceleri deberetur accepisse, summoq; iustitie
libramento suum cuiq; tribuendo, pericli-
tantem sub gladio Dei populum liberasse,
atque superbissimum Aman infami suppli-
cio condemnasse? Quis nescit (vt de innu-
meris alijs nihil dicam) Darium Regem v-
na historiarum inspectione pietatem didi-
cisse? cum, ex Cyri Regis prescripto, non so-
lum aduersarios Iudaorum, Dei templum
adificantium, cohibuit, verum etiam vni-
uersa molis opus suis sumptibus absoluen-
dum & sacrificia immolanda, vt dignum
erat regia munificentia, curauit. Hinc Au-
gusti Caesaris factum non potest non à sapi-
entibus valde approbari, qui (vt Suetonius
scribit) in euoluendis vtriusque lingua au-
thoribus nil aequè sectabatur, quam præ-
cepta & exempla publice & priuatim sa-
lubria

I.

Rerum ges-
tarum ve-
râ notitiâ
gerendarâ
via securi-
or aperitur

Ier. 6. Inter-
rogate de
semitis an-
tiquis, &c.

Esth. 6.

1. Esd. 6.

in vita
Augusti.

DEDICATIO.

NB.

lubria, eaq; ad verbum excerpta, aut ad domesticos, aut ad exercituum provinciarum, & Rectores, aut ad urbis Magistratus plerumq; mittebat.

2.

Tum (ne per amplissimum campum tuarum virtutum laxatis quasi habenis me immittam, eas enim ut ne attingam quidem & magna Dei dona tibi pro salute multorum attributa ut silentio obuoluam & iniqua obliuionis veluti nube obscurem, facit perpetua atque admirabilis tua modestia) quia piorum Concionatorum ac Ludimagistrorum (in quorum gratiam potissimum hoc promptuarium exemplorum ac miraculorum collegi) te summum novi esse Patronum, ac Mecænatem. Magna debetur laus Pompeio illi magno, quod, ad tertium de tertia orbis terræ parte decedens triumphum, Rhodios, propter commercium quod ipsis cum optimarum artium studijs fuit, magnifice honorauit, omnes eorum Scholas adijt, omnes Philosophiæ Doctores de suis quemq; rebus differentes & benigne & attente auscultauit, talentum unicuique dari iussit, & Posidonium Philosophiæ professorem tum forte egrotantem inuisens, à licetoribus pulsari Musarum fores vetuit, atque hominis eruditi ianua laureatos illos fascēs

DEDICATIO.

fasces submitti demandauit, is, cuius armis
 tota fere Asia legionibus Romanis fuerat
 patefacta, cuiq; se mundus & Oriens & Oc-
 cidens submiserat vniuersus. Magna in-
 quam magnus hic Rom. imperator, propter
 eximium istum in doctrinam animum &
 amorem celebrandus est laude. Quanto
 vero laus maior debetur amplissima tua di-
 gnitati, cuius (vt & aliorum, Dei & publici
 boni amantium, virorum) auxilio, ante an-
 nos, nisi memoria me fallit, ferme vnde vi-
 ginti, magnum illum animarū Oeconomum
 & Gymnasiarchum vigilantissimum R. Do-
 minū Casparum Vlenbergium permouimus,
 vt celeberrimi nostri Gymnasij Laurentia-
 ni cardines suis pateretur humeris imponi?
 (quando etiam volebas vt, sub tanti viri
 regimine, veluti in purissima cera in tuis o-
 ptime & ab indole & ab ingenio armatis fi-
 lijs omnium virtutum imagines efformare-
 mus). Hac enim ratione in predicto Gymna-
 sio (vt de alijs tuis in hanc & alias sancta
 vestra Rep. pietatis ac doctrinae officinas col-
 latis beneficijs nihil dicam) non pristinum
 duntaxat succum, spiritum ac sanguinem,
 sed colorem etiam pulcherrimum ac letissi-
 mam speciem ingenuarum artium ac pietatis
 studijs tot annorum curriculo vidimus
 esse restituta.):() Dum

Gaude fe-
 lix Agrippi-
 na sanctaq;
 Colonia,
 Sanctitatis
 tuę bina ge-
 res testimo-
 nia, Post.
 quā fidem
 suscepisti
 ciuitas pre-
 nobilis, Re-
 cidua
 non fuisti,
 sed in fide
 stabilis.

DEDICATIO.

Dum has humanarum ac diuinarum ar-
 tium sedes pulcherrimas nō sine pietate ac
 solertia singulari nouis semper beneficijs or-
 nationes & celebriores reddere allaboras,
 rem profecto moliris vere sacrā & immor-
 talem, neq; solum de sancta florentissimaq;
 urbe Coloniensi praeclare mereris, sed tot e-
 tiam Scholas, tot Ecclesias, tot Resp. cōseruas,
 quot studiorum causa in istis Gymnasijs de-
 gunt, iisdemq; cōmodare aliquādo poterunt.
 Ecquis enim nescit praesidijs Scholarum to-
 tam Christianam contineri Religionem, &
 ex eis pendere uniuersa Reip. salutem adeo
 ut vix possint illa ruere quin haec eodē labe-
 facta a motu cōcidant? Quod praeclare in-
 tellexisse videntur Mytilenenses qui quos
 populos bello deuicerant nullam eis aliam
 irrogabāt pœnam nisi ut ne liberos suos lit-
 teras docerent, sciebant videlicet eas dun-
 taxat ciuitates florere posse in quibus litte-
 rarum studia colerentur, neq; robustius Re-
 busp. praesidium inueniri posse credebant,
 quā si optima iuuentutis institutione emer-
 gentium vitiorum incursiones & quasi tela
 ab iisdem remouerentur. Sicut autē Mity-
 lenai omnium bonorum reprehensionem
 incurrerunt, ita iure diuinum laudamus
 Lycurgum qui cum Lacedaemoniorū Remp.

Totius
 Reip. cor-
 pus vitiorū
 senio fra-
 ctū recenti-
 bus & sanis
 membris

opti-

DEDICATIO.

optimis legibus fundatam plurimamque virtute stabilitam esse vellet, ex ea viros aliquot vite & morum integritate doctrinamque præstantes lege lata iuventuti præesse volebat.

Non enim tam impetum armatorum hostium quam ex inscitia morumque corruptela perturbationem vite metuebat, & confusionem. Et certe tantum illi, illius legis auctoritate permoti, studium tantamque curam publicis sumptibus ad honestam iuventutis educationem contulerunt, ut qui antea Grecorum omnium pessimi, ab Herodoto dicti fuerunt, eodem procedente tempore optimi omnium ab Isocrate nominati sint.

Quis igitur dignis se laudibus celebrare posse existimabit, magnanime Consul, eos heroici pectoris viros, qui quia plurimum adiumenti Rebusque & generi humano conferre exoptant, & ex bene constitutis Gymnasijs maxima ad omnes Reip. partes sese diffundere comoda vident, ea conservare laborant, luculentis Moderatores eorum præmijs afficiunt, & liberalium ingeniorum studia mirifice excitant & inflammant? Quoniam hac extrema mundi senectate his, inquam, exulceratis ac tristissimis temporibus, multis eheu in locis liberalibus disciplinis iustus honor iustaque præmia proposita non sunt, &

);();(2 iuven.

restaurant
scholæ, re.
stauratum
quotidia-
nis novarum
virium in-
crementis
renouant,
fouent, p-
mouent.

m ar.
ate at
ijs or
or as
mor.
imag.
tot e.
ruas.
ijs de.
runt.
m to.
n, &
adeo
labe.
re in-
quos
liam
s lit.
dun-
litte.
es Re-
ant,
mer-
tela
ity-
nem
mus
mp.
opti-

DEDICATIO.

iuuentutis educatio iacet prostrata: ideoq; ru
 artes conticescunt, lingua silent, eloquen- ri
 tia obmutescit, leta exultat improbitas, at- re
 que adeo quidquid miseriarum hodie Rem- te
 pub. Christianam inundauit, scholarum si- Et
 ue contemptui, siue abusui assignandum vi- m
 detur: egregie profecto de genere humano qu
 merentur, & magnam apud pie eruditos cl
 gratiam, maius vero apud Deum in calis m
 meritum sibi conciliant omnes, qui pia do- Re
 ctrina doctaq; pietate instructos viros so
 mouent, ut rite iuuentutem formandi mu- n
 nus ad honorem diuini numinis amplifican-
 dum, ad Ecclesie incolumitatem conseruan-
 dam, & cuiusq; hominis salutem promo-
 uendā in humeros suos deuolui patiantur.

Hisce de causis, Amplissime, Nobiliss. ac
 prudentiss. D. Consul, honoris causa, tua tu-
 tela me meumq; hunc fœtum contra om-
 nem maleuolorum insultum dedico, offero
 & commendo: per omnia Musarum sacra,
 perq; æternam in celo Patronis doctorum
 virorum repositam mercedem petens, ut i-
 psam grato ac benigno animo suscipere, hi-
 lari ac placido vultu complecti, in tuam cli-
 entelam admittere (quod pro tua te huma-
 nitate & magnitudine animi facturum spe-
 ro) atq; adeo, sub tanta licet sis mole cura.

rum,

DEDICATIO.

rum, furtiuis horis perlegere, non dedigne-
ris. Deus Opt. Max. te sub grauiſſimarum
rerum ponderibus mente recta gradien-
tem, & Catholicam fidem iuſtitiamq; ſan-
ctam ſtrenuè protegentem quàm diutiſſi-
me conſeruet incolumem, vt ad magna
quæ hætenus egiſti maiora addas, & præ-
clara multa, quæ inchoaſti quæq; ſemper
moliris & meditaris, ad Dei gloriam &
Reip. Coloniensis utilitatem, feliciffime ab-
ſoluas. Dat. Monasterij ex Collegio Dett-
niano, 1. Octob. Anno 1610.

Ampliſ. T. Dignit.

obſeruantiffimus
cliens,

Matthæus Tympius
Collegij Dett. apud
Monast. R.